

AD LECTOREM.

de ab aliorum expositionibus discedo, scias me Lector nulla id facere temeritate: sed conscientia veritatis ductum, id mihi libertatis in Ecclesia Dei permittere, quo usi sunt, quotquot liberè suas sententias in expositione Scripturarum fidelibus proposuerunt. Interea liberum & integrum est omnibus, in tanta expositionum diuersitate, sicut & lectionum, ea retinere, quæ veritati videntur esse viciniora. Haud immeritò arbitratur Augustinus, admodum esse temerarium in expositione Scripturarum, de certitudine mentis eius qui scripsit, pertinaciter contendere. Quare modesti hominis est, id quod sentit, ac verum esse putat, sic liberè proferre, ut tamen aliorum sententijs nulla temeritate præiudicet. Sextò ac postremò de illis admoneo, quæ vel doctrina, vel consolationis, vel reprehensionis, aut alterius cuiuspiam utilitatis gratia in verbis Propheta obseruanda veniunt. Et in eiusmodi considerationibus, meo iudicio, potissimum sita sunt, quæ ad verum Psalmorum usum pertinent. Non obseruavi omnia (est enim inexhausta illorum copia, quæ in verbis, sensibus & affectibus Propheta à pio homine considerari possunt) sed quæ meditati occurrerant, aliquando paucis attingi, nonnunquam etiam fusiùs tradidi. Hactenus de ordine, quem Operi huic competere posse putavi, breuiter admonere visum est: ut legentis animus ad inspiciendas hæc lucubrationes instructior accedere possit. Reliquum est, ut de usu Psalmorum subiiciam.

Lib. 12.

Confes.

cap. 23.

24, 25. &c

30.

2. Tim. 3.

Quamuis planè verum sit, quod Apostolico testimonio quælibet sacra Scriptura diuinitu inspirata, utilis esse scribitur ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne bonum opus instructus: habent tamen Psalmi singulare quoddam à reliquis Scripturis sacris discrimen, & nescio quid præcipui, quò merito digni sunt habendi, ut peculiariter ac quotidie usurpentur, sicut & in Ecclesia tam Israël quam Christianorum semper in celebri usu fuerunt. Nec parum censendum est illis deesse Ecclesijs, in quibus cantica ista Dauidica, ad mouendum pios affectus omnium accommodatissima, prorsus negliguntur. Detestabilis quidem est abusus ille Psalmorum, quo passim in templis Pontificiorum, non Domino, sed ventri psallitur, & organis (ut vocant) luditur, auriumq; pruritus magis quam animorum adificationi seruitur. Verùm interea non est abiiciendus verus ac legitimus Psalmorum usus, in illis præsertim Ecclesijs, quæ de puritate doctrinae Apostolicae glorian- tur. Quod si non mouet celebris illa psallendi consuetudo, quæ perpetuo viguit in Ecclesia Dei: moueat saltem quòd Apostolus tam diligenter Coloss. 3. exercitium Psalmorum verbo Christi coniungit, & Ecclesie fidelium commendat, dicens: Et pax Christi exultet in cordibus vestris, in qua & vocati estis in vnum corpus: & grati estote. Verbum Christi habitet in vobis abundanter, & in omni sapientia docete & commonete vosmetipsos, in Psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Domino. Non video, quomodo tam sancta Apostoli admonitio, ut de tam vetusto Ecclesie usu taceam, vlla possit ratione excusabiliter contemni. Sed ad institutum. Habet, inquam, Psalmorum usus præcipui quiddam præ ceteris scripturis & oraculis diuinis: cuius potissimum nomine omnibus debebat esse fidelibus quam commendatissimus. In reliquis scripturis vel narrantur nobis, & exponuntur quedam de Deo, quid dixerit, quid fecerit: deq; pietate & exemplis Patriarcharum & Prophetarum: & de Christo. aut prædicuntur quedam ventura, aut facta iam commemorantur: vel præcepta Dei proponuntur, ad quorum præscriptum vita nostra sit instituenda: vel promittuntur quedam, indubitata fide amplectenda. In summa, usus reliquarum scripturarum est, ut in cognitione veri Dei, ac pietatis studio informemur, quò ad communicationem gratiae cælestis inducamur. Psalmorum verò usus, si ex corde fidei proficiscatur, sic est comparatus, ut per hunc fidelis animus in conspectum Dei subuehatur: & illic fidei suæ, spei, dilectionisq; affectus vbertim effundat. nec iam de Deo tantum vel audiat, vel loquatur: sed cum Deo loquens, secreta sua illi communicet. Et ad hanc rem Spiritus sanctus verba singulis quantumuis varijs pia mentis affectibus pulchrè conuenientia subministrat, quibus quod ex cordis abundantia coram Deo effundere gestimus, admirabili quadam ebullientis in nobis Spiritus scaturigine eructemus. Neque enim timendum est, ne verba Dauidica in causa consimili prolata, reliquorum piorum affectibus parum conueniant: cum non sit ouum ouo tam simile, quam est sibipsi Spiritus filiorum Dei in omnibus electis conformis. Nemo autem satis expenderit, quanta sit vis ad coadunandum cum Deo hominem, in exercitio & usu Psalmorum, per quod singularis